

SEPTENTRIO.



Cracovienses Advocato supremo, sed Rex ipse præturam obit. Castellanus quoque Cracoviensis Palatino in Senatus confessu prior est, cum in cæteris regni provinciis Palatinus Castellano præferatur. Porrò Cracoviæ tres civitates contiguæ sunt, *Clepardia*, *Stradomia* & *Casimiria*. Habet sub se Ducatus duos Zarocensem & Oswiecimensem. Oppida ei subsunt plura. SANDOMIRIA civitas principalis illius districtus, muro circumdata, in colle ad Vistulam sita est, abest Cracovia XXI. mill. Arcem habet antiqui operis, & ut tunc bella erant, satis munitam. Sub eâ sunt *Checmy* in loco plano, fodinis Lazuli clara, in quibus etiam argentum reperitur, *Koroxin*, *Malogast* aliaque oppida. *Lublinum* civitas ultra vistulam est, muro, fossa, stagnis, arce munita. In hac quotannis triplices sunt nundinæ, ad quas conveniunt Turcæ, Armeni, Græci, Germani, Moschovitæ, Lithuani, alijque. Judæi maximam sub urbiorum partem occupant, ibique Synagogam habent præcipuam. Arcem fluvius alluit *Bystizna*. Polonia autem ut diximus, plana est, nemoribus & silvis tecta magnâ ex parte, fertilis hordei, frumenti, leguminum: Armentis quoque abundat. Stagna habet & lacus, in quibus omne piscium genus. Flumina præcipua sunt *Vistula*, *Viadrus*, vulgo *Odera*, *Tyres* hodie *Niester*, *Hypanis*, qui & *Bugh* dicitur. *Vistula* (die *Weixel* hodie) olim etiam *Vandalus* dictus est quibusdam etiâ *Iffula* & *Visula*. Hic in Carpathiis artus montibus, antequam Cracoviam usque perveniat multis annibus augetur, postmodum amplissimo antequam Dantiscum attingat alveo in Codanum sinum non uno ostio egreditur. Boristhenes antiquis nominatissimus, nunc *Nieper* dicitur. Montes habet pau-

537 K 2ab. WBP Opole

cissimos atque id versus Meridien ubi Hungariam respicit. Status regni est penes Ecclesiasticos & Nobiles. Ordo Ecclesiasticus habet 2. Archiepiscopos, *Gnesnensem* regni primatem, qui etiam jus habet coronandi Regem; & *Leopolensem* in nigra Russiâ. Episcopi sunt, *Cracoviensis* in minore Poloniâ, *Posnaniensis* in majore in aliis Provinciis, *Plocensis*, *Chelmensis*, *Vilnensis*, *Kioviensis*, *Lucensis*, *Janouensis*, *Samogitiensis*, *Warmensis*, *Culmensis*, *Sambiensis*, *Pomesaniensis*. *Rigenensis*, alij. Ordo politicus Nobilium habet Palatinos 26. Castellanos 60, Mareschallos 4, Cancellarium & Vicecancellarium, Generales militiæ duces 2, Capitaneos generales in minore Poloniâ 40. in majore 30. in Masoviâ 12. Horum opera, cum usus postulat contra hostem cc millia Nobilium Rex potest conscribere. Qui plura de hujus Regni statu scire desiderat, adeat Stanislai *Kizistanovic* descriptionem Status Regni Polonici, Martini Crammeri Poloniam Alex: Guagnini descriptionem Poloniæ, Boteri &c. Honorij relationes, Salamonis Neugebaveri historiam Polonicam. Sunt & in Polonia Sallis fodinæ nobiles ad Bochniam & Veliscum, quibus vix ullæ aliæ præferri possunt. *Veliscum* Cracoviâ abest passibus 3 mill. *Bochnia* 10 cum arce elegante a Salinarum præfecto quem *Zupparium* vocant, habitatâ. Ager in circuitu fere est sterilis, verum ex istis fodinis majora sunt huic regno vectigalia, quam aliis quibusdam ex auri & argenti metallis. Gens Polonica præsertim Nobiles, multum nunc a Schyticâ Sarmatarum veterum barbarie distat. Latrocinia ignorat; itaque æstivis mensibus curru, hibernis Rheda summa securitate vehuntur singuli, per silvas, agros, sine ullo periculo. Viri plerique